

torum Cothmannianorum gloriâ illustrior reddenda fuerat, eam ipsam ingressus est 1619. 15. Octob., & statim sub accessus initium in publica Jubilei Academici solennitate 17. Nov. præsentibus Sereniss. Principum & Ampliss. Senatus Legatis, Præside *D. Af- felmanno* Syllogismum Anti-Christo Romano oppositum defendendum suscepit. Quâ ipsâ Disp. tantam laudem promeruit, ut Professione Theol. haud indignus aliquando haberetur, uâ & anno 1625, postquam 1622. *D. Francum*, Profess. Francof. in materia de Evcharistia adortus fuisset, à Duce *Joh. Alberto* clementissimè donatus & ab ipso Principe ad capessendum Doctoris titulum certas, nescio quas, ob causas Wittebergam ablegatus est. In qua Decano *D. Balduino*, exantlatis feliciter examinibus (ut vocant) rigorosis habitâque Disp. inaug. Theol. Licentia- tus, & Anno 1634. demum, antea enim defectus competitorum id non permiserat, Doctor creatus est. Publico munere Aca- demico ornatus, meritorum in hanc Academiam initium fecit, tam sedulum publicè privatimque habitis Lectionibus ac Dispp. sese demonstrans, ut, nisi adversâ fortè valetudine impeditus, nullam horulam instituendis Studiosis destinatam, quâ non va- caverit laboribus, prætermiserit. Quâ ipsâ assiduitate studiosis- simè præcavit, ne meritorum à posteris quoque deprædican- dorum gloriæ vel tantillum decederet. Ad studium præprimis polemicum (non neglecto tamen biblico, quod plurimæ Dispp. ad diversa Scripturæ loca institutæ demonstrant) suos dexterri- mè manuduxit, in quo tam erat versatus, ut quod tractandum sibi contra Adversarios sumebat, adeò exhauriret, ut spicilegi- um vix relinqueret aliis. Quod vel solus *de Prædest. Tractatus* fu- sissimus probat. Insuper non de una tantum solaque Fac. Theol., ejus sæpissimè Decanatum gerendo; sed de tota Acad., Magni- fici Rectoris munus sexies, anno scil. 1627. 1633. 1639. 1641. 1644. & 1650. per semestria semper æstiva sustinendo, immor- taliter meritus est. Atque hoc tanto quidem verius dici potest, quia ipsis meritis publicis immortalis est, dum A. 1650. 6. Oct. die Dominicâ in ipsa ad Templum via, annos natus 55. in ipso Rectoratu decessit, (ut ipse sibi, cum die Paschatos eligeretur, omnibus ferè membris tremens, non sine lacrymis, magnificè se

se

STUB